

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei

Episcopo Auenburgensi

Salutem et apostolicam Benedictionem

Romanus Pontifex abrogat iuramentum ab Episcopo Ecclesiae Cathedralis  
ab Rege Lethoviae erectae, Archiepiscopo Prusiae praestitum, eo quod  
ipsam Ecclesiam Sedi apostolicae immediate subiectam declaraverat.

Inclinati precibus carissimi in Christo filii nostri

Illustris Regis Lethoviae de novo conversi ad

cultum fidei christiane, venerabili fratri no-

stro... Archiepiscopo Livoniae, ac Prusiae, pro-

ut accepimus, sub certa forma dedimus nostris

litteris in mandatis, ut Cathedrali Ecclesiae quae

dictus Rex in partibus suis de novo sub pro-

priis expensis erigere, ac dotare magnifice in-

tendebat, venerabilem fratrem nostrum Chri-

stianum Episcopum, tunc fratrem presbyte-

rum Hospitalis sanctae Mariae Theutonicorum



in Livonia, ad requisitionem Regis eiusdem,  
auctoritate nostra preficeret in Pastorem,  
et ei manus consecrationis impenderet, ac  
sibi a subditis faceret obedientiam, et reve-  
rentiam debitam exhiberi, recepturus ab  
eo postmodum pro nobis, et Ecclesia Ro-  
mana fidelitatis solite iuramentum iux-  
ta formam, quam sibi sub bulla nostra mi-  
simus interclusam. Sane idem Archiepisco-  
pus, priusquam ad ipsum huiusmodi nostre  
littere pervenissent, Ecclesie memorate de  
predicto fratre providit, iuramentum fide-  
litatis suo, et Ecclesie sue nomine ab illo re-  
cipiens, licet hoc de intentione nostra nul-  
latus extitisset, maxime cum terra Letto-  
vie sit de iure, et proprietate beati Petri,




ac pro eiusdem Regis honore, quem a sue con-  
 versionis initio assumpsimus in filium Ecclesie  
 specialem, et regie dignitatis titulo fecimus  
 insigniri, nullum ibi esse velimus Episcopum,  
 qui alii, quam Romano Pontifici sit subie-  
 ctus. Quia vero idem Rex postmodum per  
 affectuosas litteras postulavit a nobis, ut su-  
 per hoc providere de circumspectione Se-  
 dis apostolice curaremus, nos eius precibus  
 annuentes, mandamus, quatinus eundem  
 Episcopum ad observantiam predicti iura-  
 menti prefato Archiepiscopo taliter presti-  
 ti denuncians aliquatenus non teneri, re-  
 cipias ab ipso pro nobis, et Ecclesia Roma-  
 na fidelitatis solite iuramentum iuxta  
 formam litterarum, quas super hoc transmi-



simas Archiepiscopo memorato. Formam  
autem iuramenti, quod ipse Episcopus  
prestabit, per specialem nuncium ad hoc  
deputatum, ad nos quantocius destina-  
re procures. Non obstante si eidem Ar-  
chiepiscopo, aut cuicumque persone, di-  
gnitati, seu loco de partibus illis a se,  
de apostolica sit indultum, quod per  
litteras eiusmodi suspendi, vel interdi-  
ci, aut excommunicari non possit,  
nisi de indulto huiusmodi plenam  
et expressam, seu de toto tenore ipsius  
fecerit mentionem, sive quacumque  
alia indulgentia, per quam effectus  
mandati nostri in hac parte impe-  
diri valeat, vel differri. Datum Anagnine



Nonis Septembris, mense XII.



Descriptum, et recognitum ex autographo Regesto Literarum  
aplicarum s. r. Innocentii PP. IV. an. VII. epist. 176,  
quod adservatur in Tabulariis Secretioribus Vaticanis.

In quorum fidem

Tabam<sup>o</sup> pridie Kal. Junii MDCCCXXXVII.

M. Marini

Tabular. S. R. E. Praefectus





Winn  
A.E. Pyle



James in Christ  
Marias MDCCCXXVII  
an. VII.  
Pactis



Novis systematis mensis XII

Rescriptum et receptionem ex scriptura et sigillo  
apostolice sedis in data die XVII mensis XII  
quod servatur in tabularum secretorum Vaticana.  
Apertum fuerit

Papae Pii IX Pontificis Maximi MDCCCXXXIII

Directori G. B. L. P. P.  
Directori G. B. L. P. P.



[Extremely faint, illegible handwritten text]







